

1539

*Senatus  
oratoribus  
Gallis re-  
sponsum.*

quod ex illius utilitate , ac dignitate foret , prætermissurum ; alterum , si Cantelmii opera uti Senatus nollet , optaret vero , ut alium ad negotium de pace peragendum Byzantium hominem mitteret , missurum . Re iterum in Senatu acta , ejus decreto , ordinario Regis legato , & Cantelmo vocatis , responsum est : nisi Cantelmius communes pro foederatis inducias obtineret , de concordia cum Turcis ineunda Reipublicæ nomine æquis conditionibus ageret . Id , præteritis iis , qui a Turcis Contareno proposita fuerant , respondere placuit . Petentibus vero legatis , eo quod Byzantio Contarenus profectus esset , quo cum his de rebus agerent ? Denuo Senatus consulto adjectum est ; nimium duras concordiæ conditiones , quæ ab hostibus exhiberentur , videri ; si ad æquiora descenderent , iis cognitis , Canali firmandæ pacis facultatem Senatum daturum .

*Annonæ a-  
pud Venetos  
inopia.*

Is erat ea tempestate status , incerta , atque inconstans adeo rerum conditio , ut variis veluti fluctibus jactata Respublica tuto , ac certo loco consistere non posset , neque expeditis consiliis se casibus , atque periculis eximere : turpem pacem , ac iniquam nolle ; difficile bellum perhorrescere ; cum ad reliqua incommoda illud quoque accessisset , quod magna annonæ inopia civitas premeretur , quæ mediis aquis posita , neque agris circumfusa , ad ingentem incolarum multitudinem alendam externo frumento , atque combeatibus indigeret : eoque anno frugum proventus imminutus adeo , atque tenuis fuerat , ut in propinquam hyemem omnium rerum , quæ victui essent necessariæ , penuriam , ac famem quoque ipsam portendere videatur : & Gasparis Basalui Neapoli datis literis , afferebatur , frumenti inopia Neapolitanum regnum adeo laborare , ut gentes fame sibi pereundum pertimescerent . Inter has belli difficultates , ob annonæ , ac frumenti inopiam versantibus , alia supervenire , quæ mentes ambiguas in diversa raperent . Nam per id tempus Maria , Hungariae Regina , Cæsaris sorore , Belgium administrante , cum gravioribus tributis pressa Gandavi civitas in apertam defectionem prolapsa esset , Cæsar veritus , ne præcipua urbis exemplum reliquæ sequutæ , ad libertatem arrectæ , jugum excuterent , ad Gandavenses opprimendos , justisque poenis coercendos quamcelerrime in Belgium profici

*Gandavi a-  
Cæsare de-  
fectio.*

sta-